

includat, & se habent, dicunt citati Doctores, sicut substantia & qualitas, & essentia totius habet de se vt non sit partes omnes, quamuis partes omnes ingrediantur eius essentiam; negant tamen totum addere aliquid supra partes, differens ab eis realiter, & quod sit aliquid præter partes.

40 Sententiam oppositam tenent cum Angelico Doctore præpar. q. 11. art. 2. ad 2. & q. 75., & 4. contra gentes q. 81. Suarez, Ariaga, Hurtadus, Ruvius, Ouedus controu. 5. physic. puncto præ n. 2. Murcia, & alij quamplurimi, tum ex antiquis, quam ex modernis, inter quos R. Ad. P. Emanuel Magnanus philosophiæ naturæ cap. 2. propositione, 2. & si contrarium teneat P. Ioannes Lalemandet hic disput. 3. part. partitione 7. clypeo 4. in sua decisione sub n. 12., eo quia, ait ipse, partes dum induunt rationem totius amittunt veterem entitatem, & nouam assumunt; ex partibus namque vnitis fiunt partes transactæ, quæ sunt ipsæmet totum, & dicit insuper hanc fuisse verè & realiter Scoti mentem, contra dictum multorum scotistarum; ipsum tamen non sequor.

41 Conclusio mea resolutiua quæstionis est, totum compactum ex partibus essentialibus essentialiter vnitis non distingui vilo modo ab eisdem partibus ipsum actu componentibus, neq; ex illis resultare aliquam entitatem tertiam simplicem, quæ non sit partes ipsæ vnitæ vt sic sumptæ.

42 Probo conclusionem hanc diuersis rationibus, & primo; vel id quod superadditur materiæ & formæ vniti est de essentia illius compositi, vel non; si non; ergo materia & forma sunt tota essentia hominis; si sic, videlicet quod illud tertium sit de hominis essentia, definitio hominis, videlicet quod sit quid cõstans ex materia & anima rationali vnitis, non erit definitio essentialis, quia non conuertitur cum suo definito, nec explicat totam hominis quidditatem, sicuti de essentia bonæ definitionis est; ergo, tum quia illud tertium deberet produci ab aliquo, aliqua & actione, & hoc falsum est quod eueniat; non ab agente extrinseco, quia solum mouet principia, vt coniungantur; non ab intrinsecis causis, si vere causæ sint [de qua re infra], quia causæ intrinsecæ sunt solum coniunctæ sese, à se non est; ergo crearetur, quod non est dicendum, nec potest de potentia alio cuius subiecti educi, cum non sit forma, quæ per aduersarios educuntur; ergo nihil erit, cum a nullo causari possit, atque adeo a partibus vnitis non erit quid distinctum; nam id, quod